

dicatur . . . Quod si haberi foris potest , cur etiam dari non potest ? II. Episcopi , & Præsbyteri in hæresim lapsi characterem non amittunt , nec potestatem Sacra menta conficiendi ; ergo fides Ministri non est necessaria ad valide conficiendum Sacra menta . Sicut ergo , prosequitur Augustinus cit. loco n. 2. acceptatur Baptismus , quem non potuit amittere qui ab unitate discesserat , sic acceptandus est Baptismus , quem dedit ille , qui Sacra mentum dandi , cum discederet , non amiserat potestatem . III. Apud hæreticos , & apud Catholicos æque remanent integræ Scripturæ , etiamsi ab Hæreticis aliter quam a Catholicis intelligentur ; ergo æque remanent integra Sacra menta , dummodo aliter ab Hæreticis non videntur . Audiamus S. Augustinum lib. 3. contra Donatistos . Si Marcion verbis Evangelicis in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti Baptismum consecrasset , integrum fuisset Sacra mentum , quamvis ejus fides , sub eisdem verbis aliud opinantis , quam Catholica veritas doceat , non esset integræ , sed fabulosis falsitatibus inquinata . IV. Tandem Minister Sacra mentorum , inquit S. Thomas 3. p. q. 64. ar. IX. instrumentaliter operatur , nec agit in virtute propria , sed in virtute Christi , sed fides est virtus propria Ministri , ergo ejus defectus nihil obest validitati Sacra mentorum ; hinc si-
ve sit infidelis , sive hæreticus , qui Sacra menta ministrat , dummodo habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia , ceteris paribus , valide Sacra menta conficit .

S C H O L I O N .

Ex tot argumentis , quibus Horthodoxæ veritatis lumen obumbrare olim conati sunt Donatistæ , & alii post illos Hæretici , qui fidem absolute in Sacra mentorum Ministro necessariam dixerunt , placet illa seligere , quæ ipsi tanquam Herculeos nodos Catholicis obijciebant . I. Canones Apostolorum dicti reprobant ob fidei defectum Baptismum ab Hæreticis collatum , prout constat ex can. 45. & 46. II. Hieronymus in cap. 4. ep. ad Eph. hæc habet . Hæreticos non habere Baptismata , sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem . III. Ex Concilio VI. Trullano can. 95. habemus : Venientes ad